



VIRUM ILLUSTRUM

longeque celeberrimum

CHRISTIANUM
WOLFII,

Sacrae Suevicæ Majestatis, Hassiæ Landgravii
Celsissimi in ditione regunda Consiliarium, Philosophum
Marpurgensem primum, diversarum ad promo-
vendas litteras societatum sodalem
excellentissimum,

PATRONUM

&

PRÆCEPTOREM

ad cineres usque venerandum

Epistola hac

Observantiæ plena atque officii


Ad amicum invitat colloquium

SIGISMUNDUS FERDINANDUS WEIS-
MULLERUS,

Philosophiæ, Wolfio promotore, Doctor, S. S. Theol. Li-
cent. Wassertrüdingensis ecclesiæ pastor primarius, ejusdem-
que Diœceseos Decanus.



Sæpe etiam est molitor valde opportuna
locutus.



Q. D. B. V.



Egisti procul dubio, VIR INCOMPARABILIS, nec sine aliqua forte animi permotione legisti *Entium simplicium atque per se existentium analysin*, quam aliquot abhinc menses cum aliis quibusdam maximi ponderis meditationibus idiomate Gallico conscriptam edidi, *Idealismum*, pro officii demandati partibus, occasione plus simplici urgente, *methodo tandem geometrica* ad Garamantas relegaturus. Paucas illas paginas infinitis aliis ansam daturas orbis eruditus omnis mecum facile prævidet. Verum enim vero, quod Tuo accidit acumini, ut parum intellectus vel finistre explicatus *Andabatarum* luctæ te expositum sæpius & merito quidem conquestus fueris, ab eadem me forte, ubi *metaphysicas dilucidationes* publici juris fuero facturus, minime immunem fore, facili conjectura assequor. Temporis interim jactura non reparanda, veritatis lux suo quantocyus splendori reddenda, animorum motus veris Philosophis longe indignissimi devitandi, unanimi suadere consensu videntur, ut disfidiorum segetes in ipsa suffocatæ herba junctis viribus locum concedant atque confirmatæ amicitia, qua humano generi

nèri in posterum profutura nobili ardore, indefesso studio, iisdem nisi principiis, docere serio satagamus. Eo usque igitur procedere confidentiæ nullus dubitavi, ut ad *amicum* Te invitare *colloquium* hisce litteris justum honestumque plane existimaverim. GEOMETRICARUM *demonstrationum* rigor unicus inter nos & exceptione qualibet major ARBITER dominator, per Syllogismos in forma disputator, unicum si vocabulum suis non definiri poterit limitibus, catenæ unicus si defuerit articulus, *Philosophia* alterutrius exploditor; præconceptæ auctoritatis qualiscunque opiniones in malam abire crucem jubentur, quemadmodum meo illud exemplo, a tuis discedens partibus, qui LEIBNITIUS mihi & PLATO & ARISTOTELES & omnia fueras, testatum feci. Tuum enim est id omne, quod in recte cogitandi methodo profeci, tuum omne, quod ad solidas meditationes animum formavit, tuum denique omne, quod, divino adjutus lumine, adhuc insoliti perspexi, quare ad tumulum usque innumeris me Tibi obstrictum modis publice gratus profiteor. Verum sicut DEO suæ horæ & moræ, ita veritatis luci sua sunt dilucula, sui profectus, sua plenissima manifestatio. Terram qui nostram mundi totius absolvere molem putaverunt olim, jam ridentur & suo ridentur merito a viris Philosophis. Conopeum illud stellis distinctum augustiora nobis prodidit. Immensam solum & planetarum compagem aut demonstramus evidentissime, aut ea conjicimus verisimilitudine, quæ ad demonstrationis axioma quam proxime accedit. Hanc per aliquod temporis intervallum sub UNIVERSI nomine contemplati fuimus atque admirati. Sed & spatium hos orbis distinguens & infinitum patens longe augustiora pandet mysteria. Perpetuam enim adhuc mundi quantam quantam molem non nisi spirituum aut lapsorum aut per lapsos a vero abductorum sive carcerem sive exilium (quod ANGLORUM suboluit *bigæ* clarissimæ) si demonstraverim, si veram mundi luminosi atque infiniti faciem post orbium elasticitatem latentem ostenderim, tetractyn PYTHAGORÆ, DRUYDUM mysteria, quantus, quæso, quantus intellectui apparebit nostro
tissimus

tissimus æque ac sapientissimus & benignissimus CREATOR, qui infernos vel primarios vel secundarios tanto exornans decore, infinito nos perfundit gaudio, ad nativitatis solum & polum in æterno spatio quærendum anxiiis suspiriis aspirantes. Rationem dabo sufficientem inque oculos incurrentem coloris cærulei, qui serenos nostros dies, heu misera sub nocte jacentes, decorat. Dabo Tibi *harmoniam* eventuum *prestabilitam* stupendam, quæ THEOLOGIAM tandem cum PHILOSOPHIA vera non sororio tantum vinculo connectet, sed ex utraque tantum non eandem per demonstrationes geometricas efficiet, in immensum orbis universi & commodum & solatium, in scientiarum quarumcumque incrementum, quale hæc mortalitas capit, ultimum. Problemata videbimus *metaphysica* omnia soluta, *Mythologia* perficiemus explicationem, *rationis sufficientis* inveniemus rationem ultimam & definitionem intuitivam, *vires primitivas* demonstratas, planissime explicatas, rigorique Geometrico, si determinationem excipias liberam, (ultimum Geometriæ *β.δ.ε.ζ.*) subjiciendas. De occultissimis, quæ per plus quam viginti seculorum decursus sepultæ jacuere, scientiis consilia communicabimus; insignem quippe & longo usu perpolitam judicii Tui aciem adhærentem adhuc menti nostræ rubiginem facile deterfuram, & scientiæ qualiscunque lineas mirum quantum Temet illic producturum, divina aspirante gratia, non tam spero, quam plane confido. FRANCOFURTUM, nisi grave fuerit, illustre illud rerum summarum theatrum, arenam nobis suppeditabit, *Angelicis*, clarissimo quodam Poëta *Helvetio* judice, hoc in negotio curis dignam, in quam quo tempore, quo die, qua in domo simus descensuri, Tuum est non tam definire, quam jubere; observantiæ etenim, quæ *discipulus magistro*, *neophytus* TANTO VIRO debeat, oblitum me minime existimabis, & si placet, præsens experieris. *October* tamen mensis, cum ob negotia domestica ad *Mænum* fluvium me invitet, ejusdem aliquem diem significandum, si fieri poterit, etiam tibi commendatum vellem atque etiam, de venia a SERENISSIMO PRINCIPE obtinenda plane securus,

curus, præterque *veritatis connexæ* amorem ne unico quidem libro comite compariturus, si per DEUM, cujus hic causa agitur, & per Te licuerit. Vale ex voto, VIR SUMME, meque, complexu tuo atque deosculatione summo afficiendum gaudio, maturo dignari responso haud gravare, quia, quod rogantis negare posset tenuitas, commune in veritatem studium, commune scientiarum omnium emolumentum suo sane jure videtur poscere, postulare, quid quod prorsus efflagitare. Vale iterum & fave. Dabam Hydropoli in agro Onoldino, qua Sueviæ confinia tangit a. d. 6. Septembris 1736.

Omnia ad majorem DEI gloriam!

